Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36566
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

plantat in animabus credentium. In anima enim de qua excidit iram, plantat mansuetudinem; et de qua excidit superbiam, plantat humilitatem; de qua eradicat lasciviam, pudicitiam plantat; de qua stirpat ignorantiam, inserit scientiam. Non tibi videntur talis debere esse plantationes quas plantat deus, magis quam insensibilium terrenorumque lignorum? Est item in primis opus verbi dei destruere edificia diabolica, que in anima construxit humana. Illa enim turris superbie in unoquoque nostrum muros elationis extruxit. Hanc sermo dei subvertit et subruit, ut merito secundum apostolum efficiamur dei cultura et dei edificatio super fundamentum apostolorum et prophetarum positi, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, ex quo iunctura edificii crescat in templum dei in spiritu. Et ita demum effici mereamur in hereditate terre sancte in parte israhelitica, extinctis omnibus et peremptis hostibus nostris, ita ut non relinquatur ex eis qui respiret in nobis, sed solus in nobis respiret spiritus Christi per opera et sermones et intelligentiam spiritualem secundum doctrinam Christi Iesu domini nostri, cui est virtus et potestas cum spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Incipit omelia XV de Iabin rege Asor et de ceteris regibus qui congregati sunt adversum Israhel.

HAS . EASDEM . SCRIPTURAS . ante adventum quidem domini nostri Iesu Christi cum legeret Israhel ille qui secundum carnem est, nihil aliud nisi bella et effusionem sanguinis intelligebat. Ex quo etiam ad nimiam ferocitatem acuebantur animi eorum, et semper bellis ac seditionibus pascebantur. Postea vero quam presentia domini mei Iesu Christi humanis cordibus placidum scientie lumen infudit, quippe cum secundum apostolum ipse sit pax nostra, pacem nos docet ex ipsa lectione bellorum. Pax enim redditur anime, si ab ea hostes sui peccata ac vitia propellantur. Et ideo secundum traditionem domini Iesu Christi nos cum legimus ista, armamur quidem etiam nos et concitamur ad prelium, sed adversum illos hostes qui de nostro corde procedunt: cogitationes scilicet malas, furta, falsa testimonia, blasphemias, ceterosque his similes adversarios anime nostre; de qua conamur secundum quod hec scriptura refert, si fieri potest, non relinquere ullum qui